impotentiæ. quodcunque compendio, omnes adeam, te vir Maxime, e proximo compellaturus es, qui si te nugi-hisce hoc fastuosus es, assequi te non ea quæ dixi, sed quæ volui dicere, nonnihil olei videbòr non perdidisse. Accedunt ejusdem farinæ aut furfuris alia paucula ἀστίχολα et ipsa; quibus omnibus si te tantillum abduci pateris a curis graviaribus atque indefessâ lu-cubrationum telâ, quâ non dubiæ immortalitati nominis tui famam is insertum, rem facis, et ~~pro~~ ~~tua~~ humanitate tuâ dignam, et (addam liberè) quâ non omnino indignus est amor in te meus, et cultus, et perpe-tua et constans æstimatio virtutum tuarum, et cum horrore quodam et stupore conditioni reverentiâ ~~cujus~~ cui ego parem non extitisse a restauratis orbi Christiano literis, omnibus utique ἐγκαίρως ἀκαίρως prædicare soleo. Tu vale, vir summe, et interpellatiun-culam boni consule. Hagæ Com: Prid: Id: Jan. CIƆIƆCLIII.

A M. Schurmannæ

Nobilissima ac præstantissima Domina.

(431).

Veterem ecce meam et solennem insaniam nuper insani-vi. atque eius rei testem scilicet, universos penè Christiani orbis incolas, suo sibi sermone advocavi. desunt, fateor, ad orientem non pauci, quos non compellavi, conscius mihi balbutiei meæ aut inscitiæ. sed desinendum alicubi fuit, ut esset unde tu ordiri posses. Ecquid cor tibi ritè salit? eritque in manu tuâ Trajectinas Musas cohibere, post tam garrulas Hagienses? Adjicio poematium unum atque alterum ἀστίχολον, ut cætera, et præcipiti furore natum. Hæc, ubi commodum erit, remitti postulo, quia autographa imprudenti periere, neque ad manum nunc erat, qui describeret. Vale Virgo Nobilissima, DDisque Voetio et Surannio, si tanti est, singula horum exemplaria meis verbis tuisque tradi jube. Scrib. Hagæ Com: 17/27. Jan. 1653.

Magni nominis et virtutis tuæ
cultor perpetuus.

Cyriaco Lentulo